



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Monachis Criptæ ferratæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

persona idonea repereritis canonicè celebratam, vos eam auctoritate nostra sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo confirmetis. Quòd si non omnes &c. tu ea, frater Episcopo, cum eorum altero &c. Datum Laterani VII. Kalen. Augusti, pontificatus nostri anno quartodecimo.

**FRATRIBVS MILITIÆ**  
*Templi de Aventino.*

**E**xaminata causa quæ inter vos ex una parte ac dilectos filios Abbatem & monachos Criptæ ferratæ ex altera super Ecclesia sanctæ Mariæ de Sorresco cum pertinentiis suis in nostra præsentia vertebatur, testibus & instrumentis utrinque productis, tandem inter vos & eos compositio nobis mediantibus intervenit, ut vos Ecclesiam memoratam cum omnibus ad ipsam spectantibus perpetuò habeatis liberè ac quietè, quibus Abbas & monachi supradicti omni liti & petitioni cedentes remiserunt quodlibet jus quin etiam concesserunt quod habere videbantur in eis, ita quòd vos triginta solidos Proveniensium Senatus, census nomine, annuatim eidem in festo Assumptionis beatæ Mariæ persolvatis in urbe. Nos igitur compositionem ipsam ab utraque parte sponte receptam auctoritate apostolica confirmantes, eandem decernimus inviolabiliter observari. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis & diffinitionis &c. usque incursum. Datum Laterani IV. Non. Augusti, pontificatus nostri anno quartodecimo.

**ABBATI ET MONACHIS**  
*Criptæ ferratæ.*

**E**xaminata causa quæ inter vos ex una parte ac dilectos filios fratres militiæ Templi de Aventino ex altera &c. *per totum ut in alia usque* intervenit, ut iidem fratres Ecclesiam memoratam cum omnibus ad ipsam spectantibus perpetuò habeant liberè ac quietè, quibus vos omni liti & petitioni cedentes remissistis quodlibet jus quin etiam concessistis quod habere videbamini in eidem; ita quòd dicti fratres triginta solidos Proveniensium Senatus, census nomine, annuatim vobis in festo Assumptionis beatæ Mariæ persolvant in urbe. Nos igitur &c. *per totum ut in alia usque in finem.* Datum ut in alia per totum.



**PATRIARCHÆ GRADENSI,**  
*& Episcopo Castellano.*

**E**X litteris dilectorum filiorum Capituli Durachienfis accepimus quòd bonæ memoriæ M. ipsorum Archiepiscopo viam universæ carnis ingresso, iidem, ne dicta Ecclesia, quæ jamdudum per tempora ex defectu pastoris lapsum gravem senserat & ruinam, patris absentiam diutiùs deploraret, convenientes in unum, & spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium A. Constantinopolitanum Præpositum Venetiis existentem sibi elegerunt concorditer in pastorem, nobis humiliter supplicantes ut quia Constantinopolitana Ecclesia noscitur nunc vacare, à qua fuerat confirmationis gratia expectanda, & ipsam electionem confirmare auctoritate apostolica dignemur, & electo faceremus munus consecrationis impendi. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus inquiretis de ipsa electione diligentius veritatem, & si eam inveneritis canonicè de persona idonea celebratam, ipsam auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo confirmetis, electo consecrationis munus postmodum impendentes. Datum Laterani IV. Non. Augusti, anno quartodecimo.

*Epist. 93.  
De electione  
Episcopi Durachienfis.*

**ARCHIEPISCOPO HERACLIENSI,**  
*& Decano sanctorum quadraginta Constantinopolitano.*

**D**ilecti filij Capitulum sanctæ Sophiæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ nostris auribus intimarunt quòd nobilis vir Comes Bertoldus ac nobilis mulier relicta Marchionis Montis ferrati & quidam alij Constantinopolitanæ ac Thessalonicensis diocesum quasdam possessiones Ecclesiæ suæ, de quibus ipsis debent necessaria ministrari, in ipsorum detinent præjudicium occupatas. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus detentores prædictos ad restitutionem debitam detentorum, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Testes autem qui fuerint nominati, &c. usque testimonium perhibere. Datum Laterani II. Non. Augusti, anno quartodecimo.

*Epist. 94.  
De ablatis Ecclesiæ S. Sophiæ restitutionibus.*

**EBREDVNENSI ARCHIEPISCOPO,**  
*& Vticensi apostolicæ sedis Legato & Regensi Episcopis.*

**C**vm Roncelinus, qui habitu monachali rejecto Massiliensis civitatis do-

*Epist. 95.  
De absolutio-  
ne Roncelini.*